



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

131. Dominica 2. post Pascha. De bonis, quæ Deus promittit in altera vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Patris æterni. D. Chrysoft. ad Neop:

Conf. 3. Cum amicitia à Deo procedat, rogabo impleri in me promissa Christi: & si Herodes stetit promissis filia Herodiadis, Marc. 6. si Balthasar Danieli cap. 6. quanto magis id præstabit *Rex magnus super omnes Deos?* Ps. 94. magis propendens ad amicitiam, quam ego. Reflectam me, an amicitiam cum Deo conservaverim, & quomodo, si ab ea excidi, redire queam: statuamque me exercere in actibus amoris Dei semper: quia minimus actus amoris Dei, Deum valet: hanc amicitiam cum Deo Christus D. nobis sanguine suo emit: hanc ego æstimabo super omnia.

MEDITATIO CXXXI.

Feria 6. Domin. in albis.

De reliquis bonis, quæ Deus in hac vita promittit suis.

Audiam Dominum reliqua in hac vita bona compendio nomine centupli exponentem. Petam intelligere illud centuplum, & consequi.

Conf. 1. Quomodo non tantum Apostoli, sed quicumque fideles, sive paucis, sive multis renuntient, dummodo voluntatem habendi non retineant, sed omnes affectus charitatis postponant, Deum explicitè omnibus præferant, carnalia pro Christo dimittant, quod

quòd centuplum in hac vita recipiant, & fructum ferant centesimum.

Conf. 2. Quomodo D. Hieronymus illud centuplum explicet, inquit, Spiritualia bona esse, quæ cõparatione & merito comparantur carnalibus cētenario numero majora. Augustin. 20. de Civ. D. c. 7. centuplum pro universitate, ait, poni, juxta illud Apostoli. *Nihil habentes, omnia possidentes.* Cyrilus hîc ait, pro domo relicta mansiones acquiri supernas, pro patre cœlestem Patrem, pro fratribus Christum, pro cõjuge divinam Sapientiam, pro matre cœlestem Hierusalem, & denique in hoc seculo multos fratres & filios secundum fidem. Origenes ait: *Multi etiam naturâ novissimi, fiunt per vitam Angelis quibusdam superiores, dum Christi consilia imitantur, & hoc esse centuplum.*

Conf. 3. Quomodo Dominus hoc centuplũ jungat cum persecutionibus nunc in tempore hoc. Marc. 20. Beda ait, sensum esse, quòd sequentes Christi consilia in hac vita persecutionibus plenissima, Regni Dei gaudium fide certâ degustent. Gratias agam pro beneficio, quibus datum est sequi consilia Dei, optabõque hoc donum pluribus dari.

M E D I.

230 *Sabbato post Dom. in albis.*

MEDITATIO CXXXII.

Sabbato post Dom. in albis.

*De septem gaudijs B. V. ex bonis Dei,
Christi, & suis.*

Aspiciam Divam alijs novis septem gaudijs refertam ampliùs. Petam ea intelligere, & consequi.

Conf. 1. Primum gaudium de bonis Dei. Gaudium est actus complacentiæ de bono possesso, quod amo mihi vel alteri, cui bene volo. Diva scivit, nullum esse bonum præter Deum, à quo accepit esse omne, quod habuit super omnem creaturam post Christum: propter quod nulla pura creatura ita fuit Deo amore conjuncta, sicut B. virgo Mater Dei: unde nulla tantum habuit gaudium de bonis Dei, sicut ipsa.

2. Gaudium fuit de iisdem bonis Dei, prout redundabant magis in Divam, quam in omnes Sanctos & Angelos, quorum omnia gaudia collata gaudijs Divæ fuerunt gutta respectu Oceani.

3. Gaudium fuit ejusdem Divæ de bonis Dei, prout per considerationem propriam miros eorum splendores, & effectus, naturæ & gratiæ, & gloriæ, in luce infinita bonitatis Dei, velut radijs à Sole perenniter emicantibus, intuebatur, & absorbēbatur dulcedine ipsius circa singula,

4. Gau